

II, 45:46: Psalm, LXIX, 10: XXXIX, 5: XCVI, 10: XCIX, 4. **לְאַתֵּבָה** au-
 tem (unde per Metathesin Welt) est ὁ κόσμος seu orbis habitabilis,
 uti & in hâc significatione Metonymicâ sumitur Psalm. XIX, 5: XXXIII,
 8: Proverb. IIX, 31: Atque hoc denique confirmant duæ illæ voces
לְאַפְרִי in Psalm. IX. *populi unius matris*, nempe *Hevæ*, uti explicat
Job. Tarnovius, & *עַמִּים*, quod est in loco parallelo Psalm. XCIX, 9:
populi variæ nationis & lingue, qui (juxta significationem suæ radicis)
 operiunt & obscurant totam terram propter multitudinem, uti hæc phra-
 sis seu periphrasis occurrit Numer. XXII, 5: tanquam locustæ (quæ &
 ipsæ nominantur *populus* seu *exercitus*) in multitudine, quod bis
 occurrit in libro Judicum cap. VI, 5: VII, 12. Idem judicium confir-
 mat Rex sanctus in Psalmo centesimo decimo loquens de Messiâ, *Con-
 teret in die ire suæ reges, iudicabit in nationibus, implebit eas corporibus
 seu cadaveribus occisorum, conteret caput super terras multas.* Ubi B.
Glossius (β) ponit hosce duos aphorismos seqq. Ut implendo cada-
 veribus infernum Christus se judicem justissimum in die extremâ
 declarabit; ita implendo electorum suorum catervâ cœleste re-
 gnum, JESUM & Salvatorem se eminentissimè ostendet. Caput
 Satanæ post tyrannidem exercitam confringitur, caput Christi post
 passionem & mortem erigitur: patiamur & nos cum Christo, ut in
 eo ceu capite nostro exaltemur & videamus Satanam subjectum
 pedibus nostris citò Rom. XVII, 20. Rectissimè dicit, *in Christo*, aliàs e-
 nim si extra illum & absque illo in judicio rigoris divini comparue-
 rimus, neque justificabimur, neque exaltabimur, neq; salvabimur.
 Agnoverat hoc itidem David, qui licet Psalm. VII, 9. postulet, *Judica
 me Jebovah secundum iustitiam & integratatem meam*, postea tamen
 Psalm. CXLIII, 2: submississimè deprecatur, *Ne intres in judicium, Do-
 mine, cum servo Tuo, quia nullus vivens in conspectu Tho justificabitur*,
 in loco enim priori sermo ipsi erat de iustitia facti seu cause, quia insi-
 dias regno & vitæ Saulis Regis sui non struxisset, uti quoque intelli-
 gen-

(β) Christolog. Davidicæ Sect, V, th, 10, & 12.